

führt P. Placidus namentlich Edel- und Halbedelsteine u. dgl. an, die er selbst in seinem Bette gefunden. »Um von den gemeinern Arten zu schweigen, sagt er, wälzt er vor sich her Versteinerungen von Thieren und Pflanzen (?), Stücke von Jaspis und Jaspisachat, von Carneol. Chalcedon, Achat, Onyx u. s. w., ebenso Topas, Bergkrystalle und Granaten, ja sogar Goldkörner, und so steht er in Wahrheit da als der reichste Fürst unter allen europäischen Flüssen.«

(Schluss folgt im nächsten Hefte.)

**Duplex vita inedita S. Mauritii,
Abbatis Carnoetensis Ordinis Cisterciensis (1114—1191).**

(Edidit R. P. D. Beda Plaine O. S. B.)

(Conclusio, cfr. Tom. II. h. ai. pg. 375—393.)

II.

Secunda Vita S. Mauritii.¹⁾

1. Nascitur Mauricius.

In illo tempore, quo Ludovicus grossus, avus Philippi Magnanimi, Francorum rex Christianissimus, in sceptris agebat,²⁾ beatus Mauricius territorii Briocensis indigena in parochia, quae Loudeac dicitur,³⁾ quasi Lucifer in tenebris oriens in occidente, regnum Franciae nativitatis primordio decoravit.

2. Mirifice proficit in scholis.

Qui infantilis balbutii tempore iam decurso, a parentibus christianis traditus est studiis litterarum Deoque et hominibus in tenera illa aetate factus amabilis inter suos coaetaneos sic profecit, quod infra non multorum annorum curricula, plenam ac sufficientem scientiam assecutus, magisterii meruerit dignitate fulgere, ac scholarum sapientium diligens studuit esse doctorum auditor, ut doctor fieri posset indoctorum. Praevidebat enim eum divina Sapiencia iam ex tunc sibi vas electionis futurum praeparabatque in eo sedem suam, ipsum eloquentiae affluentia et luce sapientiae perlustrando, quae noverat valde esse necessaria doctori et rectori plurimum mox futuro.

3. Seculo renuntiat, ut monachus fiat.

Sed quoniam videbat multos scientia inflatos per tumorem arrogantiae cadere in ruinam, maluit intra se per humilitatem

¹⁾ Bibl. National. Paris, Latin n. 12632, fol. 111—113 ex codice abbat. Carnoet.

²⁾ Ludovicus Sextus regnavit ab anno 1108 — ad annum 1137.

³⁾ In loco Croixanvec secundum primum biographum; v. Prolegom. et Chronotaxim B. Mauritii.

subsistere quam supra se maiorem gloriam appetendo inaniter elevari, et ita iuxta verbum Salomonis sua considerans novissima, ut in aeternum non peccaret,¹⁾ non solum bonis temporalibus, verum etiam propriae renunciando voluntati, mundo et amicis carnalibus se furatur, et in monasterio Langoneti Cisterciensis ordinis habitum et actum suscipit monachalem, ut soli Deo studeat de caetero militare multosque jam in ipsa novitate Sanctitatis merito praecedebat, qui ex longo usu carnis petulantiam edomare et rigorem ordinis didicerant tolerare etc.²⁾

4. *Eligitur abbas.*

Propter hanc ergo causam, id est bene morigeratam vitae compositionem, qua ceteris praeminebat, sacer eiusdem monasterii conventus, nondum completo conversionis suae triennio, eum sibi eligunt Abbatem. Qua dignitate assumpta multo humilior multoque simplicior satisque in omnibus discretior quam prius extiterit, est effectus. Graves quotidie³⁾ paupertatis molestias, frequentes inimicorum contumelias tam a domesticis quam ab extraneis illatas⁴⁾ imperturbato animo cum magnitudine tolerando supportavit.⁵⁾

5. *Deinde abdicat.*

Demum fatigatus ab itinere, sedere volens super puteum cum Jesu, relicto Liae lippientis cubiculo ad Rachelis, quae pulchra est facie, lectulum declinavit, solumque ab ore Domini verbum desiderans audire cum Maria, alium sibi in Marthae officium substitui curavit.

6. *Fundatur abbatia Carnoeti.*

In diebus illis Conanus primus,⁶⁾ Dux Britanniae et Comes Richemuntis, monarchiam Britonum possidebat eique praesidebat. Qui audita viri Dei fama libens sancto eius alloquio fruebatur et salutiferis eius monitis bona plurima faciebat. Factum est, ut ob eius gratiam in foresta, cui vocabulum est Carnoeta in episcopatu Corisopitensi, locum novo monasterio commodum et terram diversimodae sementis susceptibilem, quam fratres excolerent, assignaret, ita quidem quod idem vir beatus, assumpto secum duodeno numero monachorum de monasterio suo, aedificator et abbas illius novellae plantationis fieri dignaretur.

¹⁾ Eccl. . . . 7, 40.

²⁾ Haec verba indicant istam egraphem non esse omni numero perfectam, sed aliquot lacunis vitari.

³⁾ cotidie, fert apographum.

⁴⁾ Illatarum, in apographo erronee legitur.

⁵⁾ Deerat haec vox in apographo.

⁶⁾ Conanus iste non est primus sed quartus et regnavit ab anno

7. *Mortuo Conano haec fundatio impeditur sed tandem B. Mauritii meritis pericitur.*

Quo concesso et monasterio accepto, fratribusque in eo sub beati Mauritii jam eorum abbatis magisterio constitutis, Dux praefatus, antequam bona, quae viro Dei et loco sancto facere cogitavit, contulisset ad plenum, ad patres suos appositurus viam universae carnis ingressus est.

Beatus vero Mauritius cum sanctis fratribus in Dei servitio nihilominus perseveravit, in Domino confidens, qui semper respicit ad orationem humilium et non sprevit precem eorum, et cum ad perfectionem ecclesiae, et officinarum monasterii, et ea, quae quotidiana fratrum necessitas exigebat, pauper Dei sufficientiam temporalium non haberet, devotis orationibus coram Domino quotidie frequentabat, et cum lacrymis rogitabat ut ille, ejus instinctu res fuerat inchoata, summam manum ad rei consummationem apponere dignaretur. Nec fuit ejus oratio ad extremum exauditione indigna.

Obtinuit enim a Domino in vita sua, ut fratres sui una cum illo in Dei servitio congregati contenti essent cum patientia victu tenui et vestitu, qui eis poterant pro numero personarum et qualitatibus temporum ministrari. In morte quoque sua ejus meritis a Domino valde largius est concessum, ut fratrum numerus augetur et officinae, totumque monasterium, miraculis crebrescentibus, satis decenti schemate consummari gauderent.

8. *Humilitas B. Mauritii.*

Quoniam scriptum est: »quanto major es, humilia te ipsum in omnibus,«¹⁾ licet viro Dei fratres alii tanquam superiori et abbati suo humiliter obedirent, ille tamen sanctitate plenus aequalem se minoribus, et minorem saepius exhibebat. Unde et in divinis officiis una et minoribus sua vice ordinem [servare]²⁾ inculpabiliter satagebat.

9. *Miraculose vinum invenitur.*

Quodam ergo die, ipso in vice sua ad celebrandum majorem Missam parato, vinum in toto monasterio non potuit inveniri. Abbas vero sanctus charitativa motus compassione, fusa oratione ad Dominum cum universo flumine lacrymarum, urceolum vacuum in manu sua suscepit: qui mox ut sancta manu ejus tactus fuit, Dei cooperante gratia, usque ad summum vino optimo redundavit.

1) Eccl. 3, 20.

2) Haec vox deest in apographo Parisiensi.

10. *Aqua in vinum conversa.*

Locus vero, in quo erat cella viri Dei . . . solitudinem praetendit: ex uno enim latere circumcingitur saltibus et foresta, reliquum vero latus ejus circumlabitur fluvio. Contigit igitur ut citra idem tempus navis quaedam, velivolum iter habens per domum sancti viri, vinum portare monachis putaretur. Mittuntur a beato Mauricio duo fratres ut ob missarum vinum vel modicum charitative postularent. Quibus responderunt nautae omnia dolia sua propter tempestatem nimiam in mare fuisse jactata, excepto uno solo, in quo aqua dulcis propter coquenda cibaria servabatur: »Et ne hoc vobis, inquit, in dubium veniat, ecce extrahimus clepsidram,¹⁾ ut fide occulta de veritate faminis nostri constet vobis.«

• Tracta ergo clepsidra exivit de dolio vinum optimum visu pulcrum et gustu suave, Deo tanto miraculo sancti sui merita declarante. Nautae itaque, qui certi erant quia nihil erat in dolio nisi aqua, tanto laeti facti miraculo Deum in sanctis suis mirabilem laudaverunt et largiflue tribuerunt monachis quod petebant.

11. *Pogius familiaris Sancti.*

Alia itidem navis onerata doliis vino plenis juxta monasterium viri Dei in fluminis [medio]²⁾ morabatur expectans horam qua maris plenitudine confluenti fluminis alveus impleretur, satisque profundum gurgitem nautarum desiderio commodaret, quo ipsi usque Kemperlegium, cujus erant cives, navem perducerent inoffensam. Pogius cognomine burgensis quidam, vini et rerum, quae in navi erant et ipsius navis dominus et magister, in illo motuum interstitio marino, cum a beato Mauricio, cujus hospes multoties fuerat et familiariter et amicitiae vinculo stringebatur, instantissima precum iteratione vix meruit impetrare ut ipse sanctus cum sanctis fratribus navem suam sanctitatis suae presentia laetificare, et panem cum eo sumere dignaretur, quod vir Deo carus non gulae quidem liguritioni,³⁾ sed divinae dispensationis mysterio non negavit ut videlicet ipso Pogio et nautis eius gratiae coelestis aliquid impertiret, et eos qui ipsum materialibus pascabant eduliis spiritualis pabuli reficeret nutrimento.

11. *Nova dona offert.*

Sumpto itaque cibo Pogioque et eius nautis corporali praesentia sancti viri et melliflua eius doctrinae dulcedine spiritaliter recreatis, cum iam vellet valefacere sanctus abbas,

¹⁾ Id est, clavem dolii.

²⁾ Vox medio deest in apographo Parisiensi.

³⁾ Liguria in apographo.

praecepit Pogius famulo suo, ut cadum magnum, quem nomine Britones Costaratium¹⁾ vociferant, vino optimo festinaret implere et fratribus, qui erant in monasterio mitteret incunctanter. Famulus autem ille ultra modum temulentus non modo vino, quod biberat, sed intolerabili eius spiramine, quod quotidie bajulare et de hoc illo dolio trahere non cessabat, correpto incircumspecte costaratio embotum, qui melius britannice traductorius potest dici,²⁾ inseruit superiori eius foramini, quod vulgariter brocum dicunt, tantumque de magno dolio vinum costaratio infundebat, quod totum per inferiora costaratii foramina, nullius clepsidrae oppositione repulsum in sentinam ipsius navis cum damno domini sui non modico effluebat, sicque factum est, ut eo prae nimia temulentia, quod ageret, penitus ignorante totum dolium evacuaretur nec ideo magis costaratium impleretur.

12. *Damnum patienter suffert Pogius.*

Quod cum Pogius reperisset, temulentiam famuli redarguens, cavillam infixit inferiori cavo costaratii, ipsumque de alio dolio procuravit impleri, jacturamque suam aequo ferens animo et in jocum vertens stultitiam garcionis, sanctum abbatem de rei serie certum facit. —

13. *Vinum B. Mauritii precibus obtinetur.*

Sanctus vero abbas more suo in Domino confidens presumens certa fide, quod ille, qui ait: »Qui vos recipit, me recipit,«³⁾ non permitteret, ut hospes suus ex charitativa susceptione ipsius, et ex devota liberalitate sua incommodum reportaret et tantum damnum in eius ignominiam occasionaliter deberet retorqueri. Pium hospitem suum humiliter consolatus est dicens: »Mater misericordiae, cui ego servio, et eius filius, qui solo verbo universa restaurat, vinum tuum tibi restituet hospes bone!« — Et hoc dicto valefaciens ad monasterium repedavit. Bona autem virgo mater Christi servitoris sui preminentiam manifesto volens hominibus miraculo revelare, ipsum noluit fiducia, quam ipse obtinebat de ea, frustrare nec occasionem dare Pogio et aliis iram de hoc non captantibus, dolium illud subito apparuit plenum vino tam bono, quale in tota illa navi non poterat inveniri.

Pogius et qui cum eo erant, prae gaudio admirantes Deo gratias agere saegeterunt, et sanctum Mauritium clara quidem

1) Haec vox non invenitur apud Cangium.

2) Gallice: entonnoir.

3) Matth. X, 40.

voce coram hominibus dignum Dei famulum proferebant. Pogius autem vinum illud tanquam a Deo missum sanctum reputavit, sancto abbati et Dei pauperibus erogavit, partem sibi retinens, quam ipse cum domesticis biberet et infirmis pro sanitatis remedio partiretur etc. ¹⁾

14. *Ariolus quidem a Sancto convertitur.*

In diebus illis quidam ariola in vico illo, qui dicitur Vicus Ronani de sylva neveti non procul a civitate Kempercorentana ²⁾ manebat, qui putabatur a minus discretis hominibus habere spiritum divinandi, ad quem cum quidam homo Groigena perrexisset (pro) quodam damno sibi irrogato furum latrocinio consulturus, in via, rediens, a spiritu, quem consulere voluerat, est arreptus, vexaturque diutius ab illo, nec inveniens inter homines, quo posset remedio liberari, ad beatum Mauritium, cuius fama iam in Groyâ et in aliis procul insulis miraculorum frequentia personabat, tandem suorum manibus perducitur amicorum, cuius oratione sanitatem recuperavit. Dum sano eius consilio acquievit, nullam postea sensit a Domino laesionem: quoties autem monitum viri sancti et salutiferum praeceptum carnali victus concupientia praeterisset, confestim a daemone vexabatur. Demum ex toto factus obediens viro Dei omnino est a pestifero spiritu liberatus, sanctamque vitam sub habitu conversi in sancto viri monasterio diu ducens, ipsi sancto annis ibi pluribus supervixit, nec aliquando ambitum monasterii presumebat exire, quia dicebat se arreptionem maligni spiritus formidare, qui nullum ei infra claustrum sancti viri poterat inferre nocumentum.

15. *Ratis monasterium infestantibus maledicit Sanctus.*

Processu vero temporis non solum super homines et creaturas hominum usui deputatas à Deo, verum etiam super insensata et valde nociva homini animalia Mauricius fide claruit (minime) occultata. Locus siquidem dicti monasterii tunc temporis, ut diximus ³⁾ erat locus horroris et vastae solitudinis, unde rati agrestes de rarioris fluvii ripis et mucosis vepribus et arboribus cavernosis terraeque foraminibus velut agmine facto egressi. granaria et alias res monasterii, et quod damnosius est calceamenta fratrum incessanter rodebant et paupertate monasterium prae eorum numerosa multitudine angustabant.

¹⁾ Hic adest lacuna, de cuius amplitudine non potest iudicari nisi coniecturaliter.

²⁾ v. Vitam primam nr. 15.

³⁾ Alludit, ut puto, ad partem scriptionis hodie deperditam.

16. *Item lupis voracibus.*

Luporum etiam rabies in iisdem partibus, instigante humani generis inimico, in tantum est digrassata furorem, ut non solum pecudes, ut solet, verum etiam homines morsibus dilacerarent. Rogatus igitur beatus Mauritius tam a fratribus quam ab aliis, ut hos omnes lupos sententia excommunicationis malediceret et ex suis exterminaret partibus, ille prudenter et cum omni modestia et cum omni humilitate respondit: »Expedit quidem ut lupi sint, et omnes bestiae a Deo creatae, quia Deus et natura nihil faciunt frustra et (Genesis cap. primo) vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona, verum tamen illos lupos, qui in stragem hominum deserviunt, exterminet Jesus Christus et sancta mater eius, cui ego deservio.« Et verbis his huiusmodi a sancto viro prolatis, inventi sunt iuxta eius monasterium duo magni lupi mortui, nullum in se lesionis signum habentes.

17. *De strage murium.*

Contra vero sorices et ratos iniunxit fratribus ut quilibet calceamenta sua vigilanter custodiret. Sed cum nec sic pestis cessaret, compatiens damnis fratrum orationem fudit ad Dominum, ut pestem illam a suis cultoribus et famulis amoveret. Continuo missa prece ad Dominum visi sunt duo corvi immensae magnitudinis, quorum qualitate et quantitate similes antea nullus in tali patria meminit vidisse. Qui per singulas monasterii officinas volatu repentino discurrentes, sancto abbati et suis fratribus, pluribusque videntibus, omnes ratos et mures huiusmodi in caveis et in tegulis domorum consequentes rostro et recurvatis unguibus mortuos effecerunt. Ita quod damnum aliquod per huiusmodi bestias amplius post diem illum nec monasterio nec rebus monasterii est illatum, nec huiusmodi illas bestias in toto monasterio aut eius ambitu per multa tempora inspexerunt (fratres) nec illi corvi huiusmodi, suo officio in dicto monasterio exhibito in tota patria ullius conspectui se praesentaverunt.

18. *Ultima momenta B. Mauricii.*

Tandem membris sui corporis continua febris aegrotatione depastis sentiensque in proximo se esse dissolvendum, cupiens cum Apostolo dissolvi et esse cum Christo, puro corde semper ad Dominum vigilabat orando cum Propheta dicente: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, ¹⁾ ne eius transitus etiam procul elongaretur, et feliciter obtinuit, quod petiit! Nam munitus divinis sacramentis ²⁾ et . . . (sese uniturus) Domino Jesu Christo,

¹⁾ Ps. 119, 5.

²⁾ Desunt hic aliqua verba.

Beatissimaeque eius matri ac totius curiae coelestis civibus, suis valedicens fratribus, continuis insistens orationibus obdormivit in Domino.

19. *Breve compendium vitae.*

Vixit quoque in hac mortali vita annis circiter septuaginta sex, ut aestimamus: quod sic colligimus: quia viginti quinque annorum esse poterat, quando monachalem suscepit habitum; in primo monasterio ante praelationem . . .¹⁾ tres aut quatuor peregit annos et cum honore praelationis sex lustra, at novo vero monasterio tribus lustris praestitit, migravitque ad Dominum tertio Kalendarum Octobris anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo primo, regnante Christianissimo rege Francorum Philippo magnanimo, Ludovici pii filio, aetatis suae anno vigesimo sexto, regni vero duodecimo, tunc oppugnante Crucis in obsequio Civitatem Accaron corde valido.²⁾ Multa vero et indubitata alia insuper in vita [et post mortem]³⁾ B. Mauritius fecerat miracula, quae non solum in proximis verum etiam in remotioribus provinciis claruerant, ubi nomen Christi cum ipsius memoria invocatur: nec liber capere nec manus scribere nec cor hominis sufficeret cogitare, nec memoriae mandare: nam caeci vident, muti fantur, surdi audiunt, daemones effugiunt, morbi pestes, periculaque fugantur eius precibus et miraculis innumeris.

Die St. Lambrechter Todtenrotel von 1501—1502.

Von Dr. Otto Schmid, k. k. Theol.-Prof. an der Universität Graz.

(Fortsetzung aus Heft 2, Jahrg. VII, S. 424—434.)

43. P. I. conparuit in conuentu nostro ordinis minorum apud s. Yppolitum in die octaua mensis Augusti anno salutis 1501.

Die Bürger von St. Pölten, besonders ein gewisser Johann Biberschneider, bewirkten, dass dem hl. Johannes Kapistran bei seiner Anwesenheit in St. Pölten a. 1455 die Maximilianskapelle sammt einem angebauten Hause zur Einrichtung eines Klosters übergeben wurde. Der Bischof von Passau und der Propst von St. Pölten widerstrebten der Errichtung des Klosters, bis ihnen der Cardinal-Legat Bessarion 1460 im Auftrage Papst Pius II befahl, keine weiteren Hindernisse entgegen zu setzen. Das Kloster besteht noch und versieht die 2. Pfarre in St. Pölten. (Vgl. Herzog p. 321—42. Greiderer Lib. III, 316 f. Marian 8, 192—94. Hist. u. topogr. Darstellung von St. Pölten l. c 362—63. Schweickhardt 2, 57—63. Klein 3, 160. 5, 103 f. Kerschbaumer 1, 469. 2, 7. 14, 413.)

¹⁾ Una vox sola deest, quae legi non potest.

²⁾ Nova lacuna, sed de Ricardo angliae rege agitur, qui, gallice vocatur Richard coeur de lion.

³⁾ Haec verba desunt in apographo.